

XIII. signatum fuit circumcisio ἀχειροποίητος : Col. 2.11. In agno paschali esca spiritualis : In Baptismo , Regeneratio : Tit. 3,5. In cœna Domini , Spiritualis Coalitio cum Christo , per illam corporis & sanguinis Christi mandationem , quæ fit & ore & fide Ioh. 6.

66. Ceterum ut ad fines Sacramentorum proprius accedamus : eos sic describit Confessio nostra : De usu Sacramentorum docent (Ecclesiæ nostræ) quod Sacraenta instituta sint, non modò ut sint notæ professionis inter homines : Sed magis , ut sint signa & testimonia voluntatis Dei erga nos.

67. Duos nimis fines Sacramentorum constitutens : Vnum accidentalem quasi & minus principalem: proprium vero, & maximè principalem alterum : quorum illum συμβολικὸν . hunc σφραγίσκον haud ineptè nominare possumus.

68. Prior est, ut Sacraenta sint notæ Confessionis, sint tesseræ Ecclesiæ , sint nervi publicarum congregationum, typi officiorum pietatis, &c

69. Quemadmodum enim Circumcisio olim Iudeum ab Ethnico : ita hodiè Baptismi & S. Cœna usus ab utrisque Christianum discernit.

70. Et quemadmodum Sacramentorum istorum absentia cœtum infidelium & gentilium , extra Ecclesiam Christi constitutorum verissimè arguit : ita eorundem præsentia, Ecclesiæ Christi signum est